

Friedrich-Wilhelms-Gymnasium

zu

Greiffenberg in Pommern.

X.

OSTERN 1862.

Inhalt: 1. Quaestionum Sophoclearum pars I.
2. Schulnachrichten.

Greiffenberg in Pommern 1862.

Gedruckt bei Carl Kraut.



Faint, illegible text or markings in the upper middle section of the page.

Faint, illegible text or markings in the middle section of the page.

Faint, illegible text or markings in the lower middle section of the page.

Faint, illegible text or markings in the lower section of the page.

Etsi non ignoramus, multam et assiduam operam a viris doctis in Sophocle vel interpretando vel emendando positam esse eaque studia cum omni tempore maxime floruisse, tum hac aetate ita flagrare, ut vix quidquam accessionis ab eo sperari possit, qui intra auditorii scholastici parietes per laborem ac sudorem dies ac vitam exigere cogatur, et cui nec ubi sol montium umbras mutat quidquam otii vel ad relaxandum animum vel ad optima studia ita ut necesse est recolenda concessum sit, tamen ne nos quidem in campum descendere nostramque qualemcunque opellam offerre dubitamus, quo poeta ut incundissimus ita difficillimus suo nitore restituatur et lectio eius magis expedita fiat. Quod cur facere ausi simus, tres maxime sunt caussae. Primum, ut gravissimam omnium primo loco afferam, necessitate quadam disputandi nobis imposita, eam arripimus materiam, quae, cum esset a nobis hoc ipso tempore pertractata, maxime in promptu nobis esset. Deinde Meinekii nostri et editionem Antigoniae nitidissimam et disputationem, quae est de eadem fabula, doctissimam ac subtilissimam tanta voluptate etiam atque etiam legimus, ut nos paene nostri paeniteret, nisi aliqua ratione gratum animum significare conaremur. Tum vero etiam discipulis nostris, quorum in usum haec quae indicibus lectionum fastisque scholasticis praemittere solemus, conscribimus, speciem quoddam studiorum nostrorum tradere et relinquere volumus, quo et lectionum nostrarum Sophoclearum memoriam retinerent et quamnam studiorum rationem sibi commendavissent, quamque viam ipse semper praecivissem, recordarentur. Nam mihi quidem, ut verum confitear, studia nostra cum in aliis disciplinis tum in interpretatione Graecorum et Romanorum scriptorum aberravisse ab eo fine videntur, qui institutioni scholasticae propositus esse debet, cum mollia potius et suavia captarent, quam per arida et ardua eniterentur, nec adolescentium animos certis cogitandi legibus adstringere et quidquid in eis luxuriari videretur circumcidere, sed ad sensum quendam pulchri et ad hauriendas eas quae in omnibus veterum populorum operibus sunt venustates conformare conarentur. Profecto ne nos quidem ei sumus, qui discipulis nostris hanc voluptatem invidemus: sed multo labore eam emptam volumus, et esse quaedam iubemus, quae ei aetati, quae ultra spatia scholastica et academica extenditur, reserventur. Atque si quid in promptu esset, quo adolescentes ad scriptorem aliquem allicere possem, fortasse tamen id negligere ut angustam amice pauperiem pati robustus acri militia puer condisceret. Sed quid nigor, cum haec, quae dicam, nostrae aetati parum convenire videam: accingamur potius, ut nostro Marte rem propositam agamus et, quantum quidem in nobis est, res quasdam publici iuris faciamus, quae nec Sophocli prorsus infructuosae et discipulis nostris salutares sint.

v. 130. est lectio librorum χρυσοῦ καναχῆς ὑπεροπτίας, nisi quod in La. antiqua manu ὑπερόπτας supra scriptum est. Ὑπεροπτίας illud versui non convenire apertum

est: nec vero magis ὑπερόπτας explicaveris, nisi cum Emperio *καναχῆ* δ' scripseris, quam coniecturam nuper etiam in novissima Sophoclis editione G. Dindorfius probavit. Sed ne sic quidem habemus, in quo consistere audacter nobis liceat. Primum enim, ut Paroemiacus versus etiam in eis Anapaestis, qui Strophae adiuncti sunt, efficiatur, illic ὦς delendum est; deinde sententiae, quae h. l. per τὲ particulam coniunguntur (πολλῷ ἡέματι προεισσομένους et χρυσοῦ *καναχῆ* ὑπερόπτας), vix eiusmodi sunt, quae talem iuncturam patiantur: altera enim copiarum numerum, altera, fastum animi ostendit; postremo τὲ particula apud Sophoclem nusquam tertium locum tenet, nisi ubi articulum cum Nomine iunctum sequatur. Quare hac via ommissores, Bonitzio imprimis auctore, ad coniecturam olim a Vauvillersio propositam redierunt et χρυσοῦ *καναχῆ*ς ὑπεροπλίαις scripserunt, cum i productam exemplo Homeri excusarent, qui etiam ipse ὑπεροπλίητι dixisset. Sed utcumque de huius exempli auctoritate statueris, primum nomen hac coniectura Sophocli obtruditur, quo alibi non usus est nec uti voluit, siquidem occasio, in qua uteretur, profecto ei non defuit; deinde dubito num ὑπεροπλίαι *καναχῆ*ς ita dici potuerit, ut esset superbia ex strepitu armorum nata. Quare ne sic quidem in verbis Sophoclis ita constitutis acquiescere nobis licet, idque etiam Bergkii sensit, qui aliam est viam ingressus, quamquam vereor, ne, si illi obsequamur, a veritate potius aberremus, quam propius ad eam accedamus. Equidem desidero Capanei nomen, quod cur reticeri potuerit prorsus non intelligo. Ceteri sane duces. v. 139 ἄλλα δ' ἐπ' ἄλλοις ἐπενώμα quasi summatim perstringuntur; sed eo magis principem omnium suo nomine dici necesse esse mihi videtur. Et propono *Καπανῆ*, qua de forma, si placet, Kruegeri dialectologia conferratur. Neque magis offendetur Hiatus (*Καπανῆ* ὑπερ —) in versu Anapaestico, qui G. Hermannum Elementis rei metricae (I, 10) consuluerit. Quodsi quis sub *καναχῆ*ς vocem *Καπανῆ* latere sibi persuaserit, reliqua qua ratione emendet minus dubitabit: mihi maxime in proclivi videtur scribere *τειχῶν Καπανῆ* ὑπεραλλόμενον, cuius coniecturae tutelam a me recipi nemini necesse esse videbitur.

Jam tetigimus locum (v. 139), in quo ceterorum Argivorum principum fortuna Capanei casui annectitur: εἶχε δ' ἄλλα τὰ μὲν, ἄλλα δ' ἐπ' ἄλλοις ἐπενώμα etc. ut nunc fere verba Sophoclis ex Erfurdii coniectura in plerisque editionibus leguntur. Sed quis neget pro ἄλλα potius eam notionem requiri, qua nota clades Capanei reliquis opponatur, veluti τῆδε, id quod egregie intellexit G. Hermannus, proponens εἶχε δ' ἄλλα μὲν ἄλλα. Quamquam, his praemissis, verba τὰ δ' ἐπ' ἄλλοις etc. quasi claudendo pede subsequi dixeris. Quare Bergkii εἶχε δ' ἀλατὰ τὰ μὲν commendavit, quod probarem si satis exploratum esset, Paonem primum in Tragoedia Cretici munere fungi posse, praeterea nomen requiro, quod magis quam ἀλατὸς laetitiam victoriae significet. Quare equidem scripserim αἴγλα, lux atque salus in illa murorum parte erat, similiterque contra ceteros duces Mars Thebanis praesidio fuit.

v. 551. καλῶς σὺ μὲν etc. Scholiastae Elmsleiano, ut recte intellexit Martinus, lectio καλῶς σὺ μὲν σοί obversata fuisse videtur, meritoque Bonitzius hanc Martini emendationem palmarem iudicavit. Sed quid altera versus parte faciamus, eo incertius est. Nec enim τοῖσδ', nulla particula cum praecedentibus coniunctum, ferri potest, neque τοῖς δ', in duo verba divisum, pro τοῖτοῖς δὲ dictum putari. Accedit quod chorus, quem hoc pronomine significari necesse est, antea minime, se cum Antigona sentire, significavit. Equidem pro altero τοῖς scribere ausim θεοῖς, quod ad sententiam aptissimum esse nemo est quin intelligat. Quodsi hanc coniecturam cum Martiniana consocias, en hic prodit versus: καλῶς σὺ μὲν σοί, θεοῖςδ' ἐγὼ ἐδόκουν φρονεῖν, sc. tum cum sic agerem ut egi. Atque paullo infra v. 560. egregie Dobraeus scripsit ὦστ' τοῖς θανούσιν ὠφελεῖς i. e. tu operam tuam perdis in tuenda et conservanda ea, quae iam mortuae instar est. Sed nollem interpretes tam facile in Dativo τοῖς θανούσιν acquievissent, pro quo quin Accusativus τοὺς θανόντας scriberetur, metrica ratio nulla impedimento erat. Verum haec quoque dubitatio una lineola addita tollitur, si scribamus ὦστ' ἐν τοῖς θανούσιν ὠφελεῖς, quae mihi quidem genuina scriptio videtur esse.

Est locus Antigoniae ex numero eorum, quos insanabiles dicere velis, v. 591 f. ἀρχαῖα τὰ Δαβδουκιδῶν οἴκων ὀρθῶμαι πῆματα φθιμένων ἐπὶ πῆμασι πίπτουτ', quem nuper etiam Meinekius tentavit, sed ita ut potius quam impeditus sit, quam quomodo sanandus esse videatur appareat. Primum enim οἴκων est eo loco, in quo Jambum, non Spondem exspectes; tum ne φθιμένων quidem cum stropha convenit, in qua duae longae syllabae pro Anapaesto (φθιμένων) reperiuntur; Stropha vero ita comparata est, ut emendationem nec requirere nec admittere videatur. Quare Antistrophae versus, supra a nobis laudati, criticam artem desiderant. Atque G. Hermannus pro φθιμένων scripsit φθιτών. Sed huius verbi prior syllaba haud dubie brevis est, recteque G. Dindorfius monuit, non esse tam preclive, quam quis existimet, in gravis dipodiae trochaicae locum ditrochaicum submittere. Eaque caussa me ipsum deterret, quominus, quod ad sententiam aptissimum est, πῆματ' ἀφθίτως scribam. Meinekius Bergkii coniecturam adoptavit πῆματ' ἰφθίμων, litterarum ductu nehercule sese maxime commendantem, si modo ἰφθίμος non solum robur, sed etiam dignitatem ac nobilitatem significaret. Atqui haec est summa huius loci, ne regiam quidem dignitatem praesidio adversus calamitates continuas esse. Equidem ad relictam a me viam revertor, quaeroque adverbium, quo haec continuitas malorum exprimatur. Fortasse non procul a vera lectione sum, πῆματ' ἀστειμφῶς scribens. Superest prior versus, quem cum Strophae versu non plane consentire supra diximus. Atque fortasse rectam viam Meinekius ingressus est, cum ἰδῶν φοβοῦμαι scribi iussit, nisi quod ὀρθῶν verisimilius videtur quam ἰδῶν, φοβοῦμαι vero verbum parum grave est. Equidem ἔφοργα substituere conatus sum: etsi in his tam libera optio est, ut centum verba pro uno eligere possis.

Maioribus etiam difficultatibus altera strophæ laborat, etiam post salutarem operam, quæ ei ab interpretibus navata est. Sic v. 605 ff. in quibus praeclare Jovis potentia ac magnifice laudatur, hæc quidem tanta esse dicitur, ut eam οὐδ' ὕπνος — οὐτ' ἀκάματοι θεῶν μῆνες vincere possint. Sed versus οὐτ' ἀκάματοι θεῶν μῆνες non convenit cum versu Antistrophæ εἰδοῖσι δ' οὐδὲν ἔρπει, qui tamen nulli suspicioni obnoxius est: deinde vero quid θεῶν μῆνες sibi velint, hoc praesertim sententiae nexu, vix quisquam dixerit. Nam Jovem a deorum mensibus coerceri non posse, ipsum per se satis verisimile est. Sed cum alii alia via sanationem huius loci quæsiverint, nemo animadvertit, θεῶν quasi reliquias esse eius nominis, quod ante scriptum erat θεόντες, ut, antistrophæ ratione habita, pro ἀκάματοι verbo trisyllabo egeamus, quo menses indefesso cursu sese excipere dicantur. Non audeo pro certo dicere, quid scribendum putem sed dum alius auspicius eam rem egerit, commendaverim tamen ἀτενώς. Ceterum ut, quin θεόντες verissima coniectura sit, ne minime quidem dubito, ita ipse, si quis pro ἀτενώς vel aptius vel propius ad ἀκάματοι accedens nomen obtulerit, grato animo accipiam.

Aequè corrupta est extrema Strophæ pars: οὐδὲν ἔρπει θνατῶν βιότῳ κάμποις ἐκτὸς ἄτας. Quæ verba Sophoclea esse nemini videri possunt: ut nunc scripta sunt, paene ex Antistrophæ miserum in modum compilata esse dixeris. Nec vero attinet virorum doctorum coniecturas recensere: fortasse ea ratio, quam inii et ad quam aliquot annis intermissis semper redii, non prorsus improbabitur, praesertim cum sententia, quæ ex ea efficitur, praeclare præcedentia concludat. Lego equidem: οὐδὲν ἔρπος θνατῶν βιότῳ παντελὲς ἔστιν ἄτας, nullum certum hominum vitæ praesidium datum est, quo calamitatem defendat et arceat.

Sed ut ad alium Antigonæ locum transeamus, Chorus inde a. v. 943. Antigonam ad supplicium abductam consolatione prosequitur ex simili aliorum fortuna desumpta. Sic Danae dicitur κρυπτομένα ἐν τυμβίῳ θαλάμῳ inclusa esse: sic Lyeurgus πετρώδει κατάφαρτος ἐν δεσιῶ ἰσανίαν suam quasi exhalare: tertium exemplum Phinidae præbent, qui et ipsi in carcere quodam subterraneo, postquam a noverca oculis privati sunt, miseriam suam fortunam deplorant. Sed huius carceris mentio nulla hoc loco facta est: res primaria et ea quæ maxime ad Antigonam consolandam pertineat omissa est. At vero etiam magis id mirum videri necesse est, si reputes, primum matrem, deinde post matris mortem filios eius in eodem carcere occubuisse. Id vero si Sophoclis ingenio dignum putabis, illum citra eum finem, ad quem contendebat, veluti puerum stolidum substituisse existimabis. Sed fortasse librariorum culpa exciderunt, quæ desideramus. Κατὰ δὲ ταχόμενοι μέλει μελέαν πάσαν κλαῖον ματρὸς ἔχοντες ἀνύμφευτον γονάν. Verba prima facilia sunt intellectu: sed quo ματρὸς trabas non liquet. Alii cum πάσαν coniunxerunt, quasi vero Phinci filii suæ sortis oblit

matris interitum ploravisse videantur: illius casum quod nimis graviter tulerant, et occaecati et carcerē inclusi erant: nunc satis caussae erat, cur suam calamitatem commiserarentur. Verum etiam si *ματρός ἔχοντες ἀνυμφεύτου γονάου* coniungamus, dictionemque *ματρός γονάου ἔχειν* tolerabilem putemus, tamen haec verba satis languidam sententiam effundunt, quae praesertim nulla alia de causa adiecta videatur, quam ut ad sequentia transitum pararet. Quid multa? *γονάου* illud corruptum puto, pro eoque reponendum vel *λόχου* i. e. carcerem abditum, vel *λέχος*. Phinei filii quasi moerore tabescentes suam fortunam deplorabant, cum funestum illud cubiculum tenerent, in quo etiam mater ipsorum interiisset.

In carmine eo, quo Chorus Dionysum, ut praesens Thebis adsit perniciemque urbi et regiae domui imminentem avertat, implorat, primum sedes, in quibus Deus quasi regnet, enumerantur, deinde eorum locorum, ex quibus locum natalem adire soleat, mentio fit; denique preces effunduntur, ut nunc quoque urbi natali opem ferre properet saltationesque nocturnas excitet, quibus Bacchae praesentem deum celebrent. Inter sedes illas religionis Dionysiacaе v. 1118 etiam Italia commemoratur, quae etiamsi neque Graecis tum ignota erat, neque vini cultura carebat, tamen vix erat cur poeta inde laudes dei repeteret, remotamque et parum illustrem locum cum clarissimis Bacchi sedibus, Eleusinia ac Thebana, componeret. Praeterea nec verbi *ἀμφέπω* ea vis est ut de terra, quam Dionysus in itinere aliquo semel bisve adierit, dici potuerit: immo vero certam multorumque seculorum consecratam dei alicuius sedem significat. Quare vix satis mirari possum, cur verissima Ungerī emendatio, *Ἰκαρίαν* scribentis, nunc quoque ab Sophoclis editoribus repudietur. — In altera carminis parte scriptum legimus: *Νυσαίων ὄρεων κισσῆρεις ὄχθαι χλωρά τ' ἀκτὰ πολυστάφυλος*. Nysaei montes in Euboea insula positi sunt; recteque horum montium *κισσῆρεις ὄχθαι* laudantur; sed *χλωρά ἀκτὰ* non eadem ratione cum illo Genitivo coniungitur qua *ὄχθαι*. Quid si *Νυσαίων ἀπ' ὄρων* scribamus, praesertim cum etiam *πέμπει*, quod sequitur, Dionysum non commorantem in illis montibus, sed inde Thebas proficiscentem describat. Atque videmus, si ita legimus, deum a Nysaeorum montium sacris iugis descendente perque littora viridia vitibusque ornata, aeternis carminibus comitatum, incedente, ut videlicet eadem via sacra qua appropinquare deus Thebis putabatur, et certa quaedam via erat, accederet.

Sub finem fabulae (v. 1342. ff.) Creon et filio et uxore orbatas, postquam eius calamitatis culpam sibi imputavit, summam omnium rerum desperationem prae se ferens, exclamat:

— — ὦ μοι μέλεος, οὐδ' ἔχω

ὅσα πρός πότερον ἴδω, πᾶ καὶ θῶ. πάντα γὰρ

λέχρια τὰδ' ἐν χειροῖν, τὰ τ' ἐπὶ κρατὶ μοι

πότμος δυσκόμιστος εἰσῆλατο.

Hæc verba corrupta esse; ipsa computatio Syllabarum docet: cum Stropha enim collata uno Cretico abundare ea apparet. Sed num verba $\pi\alpha\ \kappa\alpha\iota\ \delta\omega$, an vero $\pi\acute{\alpha}\nu\tau\alpha\ \gamma\acute{\alpha}\rho$ eliminanda esse videantur, interpretes inter se dissentiunt: quamquam recentiorum sententia eo potius inclinatur, ut $\pi\acute{\alpha}\nu\tau\alpha\ \gamma\acute{\alpha}\rho$ in textu retinere velint. Qui vero in præcedentibus verbis vitium esse existimant, ei etiam ipsi in diversas partes discedunt. Aut enim simpliciter $\pi\alpha\ \kappa\alpha\iota\ \delta\omega$ tanquam subditivum tollunt, aut hæc verba emendatione aliqua tentata, retinent, et alia quaedam enuntiationis frustula exterminant. Veluti Kayserus, adoptata Schneidewinij elegantissima coniectura, $\kappa\lambda\iota\delta\omega$ pro $\kappa\alpha\iota\ \delta\omega$ scribentis, scribi iubet οὐδ' ἔχω ὁπῶν πρὸς πότρεα κλιδῶ, quam emendationem G. Dindorfius probavit, nisi quod ὅσα conservavit. Sed, nisi fallor, constituere primo loco debebant, quid verba πρὸς πότρεον sive πρὸς ποτρεὸν sive denique πρὸς πότρεα sibi vellent: num filius et uxor eo vocabulo designati essent, an vero alii homines, quorum auxilium implorare posset. De illis cogitare, prorsus absonum mihi videtur. Nam postquam se ipsum ut illorum interfectorem graviter incusavit, iam verbis οὐδ' ἔχω desperatam rerum suarum conditionem pingit, in qua non de defunctis, sed de viventibus, sive deis sive hominibus, dicendum est. At vero sic πρὸς τίνα scribendum erat, pro quo πρὸς πότρεον dici potuerit, prorsus non intelligo. Longe enim diversa est hæc dicendi ratio, qua πότρεον de infinita aliqua multitudine dicitur, ab ea qua πότρεον in interrogatione scriptum invenitur, altero interrogationis membro quasi oppresso. Namque hic quod sermone reticetur, non item cogitatione omittitur: illic electio e multis libera est, ut cogitatio haudquaquam in duobus subsistat. Sed si quid video, in hisce verbis id latet, quod nemo est quin exspectet et postulet, verbum videlicet id, quo supplicis conditio significetur, velut πρότροπος προτρόπαιος, πρότροπη. Atque hoc, quod est idem atque ἰκετεία, prætulerim, ut versum iam sic restituisse mihi videar: ὅσα πρὸς τροπή ἴδω, τὰ κλιδῶ omissis extremis verbis πάντα γὰρ, quæ sequentium verborum vim non augent, sed imminuunt. Nam horum quidem hæc est sententia ut et ea quæ præsentia sint, incerta et fluctuantia dicantur, et tristiora etiam timenda esse dicantur. Sic enim τὰν χειρῶν intelligo: nec vero spes est, fore ut daemon ille, qui in capite Creontis insedit, unquam excutiat: immo vero ille Creontem prosternet et evertet. Quare sic equidem lego: ἰέχρια τὰν χειρῶν, ἐπὶ τε καρδίῃ μοι etc. Orationem particulis non colligatam Creontis desperationi aptissimam esse nemo negaverit.

Sed quoniam casu quodam nos ad locos Antigonaæ, de quibus disputandum nobis videatur, deferri passi sumus, accedamus ad versus 1096 et sequentem, in quo Creon ait:

τό τ' εἰκαδῆν γὰρ δεινόν, ἀντιστάνα δὲ
ἀτῆ πατάσαι θυμὸν ἐν δεινῷ πάρα.

Verba ἐν δεινῷ non a Sophocle scribi potuisse negari vix potest. Nam quæ a Naukio præterea in dubitationem vocata sunt, equidem plana et consentanea puto. Illud

ἐν δεινῷ inexplicabile puto. Primum enim δεινόν utroque in versu diversa vi dictum est: priore in versu δεινόν dicitur, quod animum mordet: in altero vero, quod calamitatis plenum est. Tum vero nec quo illud ἐν δεινῷ referas, in promptu est. Nec enim coniunxeris ἄτη παράξαι — ἐν δεινῷ, nec πάρεστιν ἐν δεινῷ. i. e. ita prope est, ut periculum inde metuendum sit. Alterum prorsus pleonastice dictum est, alterum usui Graeci sermonis plane repugnat. Sed quamquam video, si unquam, hoc loco ad coniecturam esse confugiendum, tamen nullum vestigium cognosco, quo ad veram lectionem perventuri videamur. Fortasse tamen vocem in corruptorum verborum locum substituas, qua gravitas calamitatis metuendae augeatur, veluti οἰκεία.

v. 1214. Creon ad Antigoniae sepulcrum properans παῖός με, inquit, σαίνει φθόγῃος: Qui quid proprie σαίνειν verbum sibi velit reputaverit, cum necesse est eo, quem hoc loco habemus, usu eius offendi. Sonus enim ille non leniter aut blandiens ad aures accedit, sed cum violentia quadam laedit atque vulnerat. Quid multa? pro σαίνειν suadeo σαίνειν scribamus, quod etiam litterarum ductu simili sese commendat. Quo verbo etsi Sophocles alias non usus est, minus tamen id anxios nos habebit, cum nec Aeschylus nec Euripides illud spreverint, casuique potius tribuemus, si apud Sophoclem eis in fabulis, quae nunc extant, non reperitur.

Prope est alius locus, cui facili opera medeare. Creon, filio conspecto, in sepulcrum intrat filiumque queribundus vocat v. 1228: ὦ πλῆμον, οἷον ἔργον εἰργάσαι; τίνα νοῦν ἔσχεσ; etc. Adhuc quidem nihil fecit, quod tanta vociferatione dignum esset, nisi quod in sepulcrum viam sibi aperuit magnum facinus existimare velis. Nos quidem pro εἰργάσαι scribimus ἐργάσαι. Creon timet, ne tale quid in se committat, revocareque eum ab ea sententia studet. Si vero quaeris, unde haec corruptela in textum verborum venerit, apparet causam in sequentibus Aoristis ἔσχεσ et διεφθάρης esse positam. Horum vero Aoristorum, rationem longe aliam esse facile intelligitur. Initium enim eius conditionis, in qua nunc Haemon est, describunt: quod consilium cepisti? quonam fatali impetu animo perturbatus es?

Versu 1160 nuntius ait: καὶ μάντις οὐδεὶς τῶν καθεστώτων βροτοῖς. Verbum καθεστώτα non tantum ea, quae certo constituta sunt quaeque effugere nemo possit, significat, sed ea potius, quae non futura, sed iam praesentia sunt. Horum sane nullus augur hominibus invenietur. Quare ad coniecturam confugiendum esse, iam pridem interpretes intellexerunt. Et Kayserus quidem καθεστώτων emendavit: mihi facilius ratio videtur, si ἐφεστώτων scribamus. Paulo ante v. 1156. de voce σπάντ' interpretes non sine causa dubitaverunt, aliique aliam emendandae eius viam ingressi sunt. Mihi, ut verum fatear, tanta in illo σπάντα vis posita videtur, ut nec cum Meinkio tollere nec cum alio vocabulo commutare audeam, sed omni modo retinere velim. Atque si tantum de bona ac beata vitae conditione ageretur, nemo fortasse illa

voce offenderetur: nunc additum *μεμφαίμην ποτέ* suspicionem movet. Sed, nisi fallor, zeugmatis quandam formam habes, qua, quoniam in primo enuntiationis membro omnis sententiae vis est, ea notio electa est, quae illi potius membro apta esset, quam quae ad utramque partem referri posset.

Nec vero minorem molestiam v. 1175 parat. Nam si nuntius dixit, sua manu Haemonem occidisse — id enim in voce *αἰτόχειρ* inesse, certissimum puto —, plane absurdum est, quod Chorus quaerit: *πότερα πατρώας ἢ πρὸς οἰκείας χερσός;* Nam quod Dindorfius dicit, nuntium illum tam inexpectatum Choro allatum esse, ut repetita quaestio excusari possit, id prorsus leve est. Chorus enim et antea ad tristissima quaeque satis praeparatus erat, et nunc ipsum proxima nuntii oratione animo suspensus esse debebat. Quare Meinekius *ἀσπίχειρ* scripsit. Quae vox, etsi rarissime nec ea significatione dicta invenitur, quam hoc loco requirimus, tamen nobis probaretur, si modo fieri ullo modo posset, ut *ἀσπίχειρ* esset is qui nuper occisus est. At composita, quorum prima pars *ἄσπι* altera substantivum est, non tempus significant, sed aptam et idoneam rationem, qua haec ipsa res in aliquo esse videatur, ut *ἀσπίχειρ* sit is, qui aptis validisque manibus utatur. Quare si recte dicas *ἀσπίχειρ αἰμάσσω τινά*, non aequè recte dixerim *ἀσπίχειρ αἰμάσσομαι*. Sed haec hactenus de illo *ἀσπίχειρ*, cui nos quidem nullo modo assentiri possumus. Equidem alia ratione huic loco mederi conatus sum: scribo enim *καίριαν δ' αἰμάσσεται*, letali vulnere eruentatus est; *αἰτόχειρ* vero glossa est ex versibus sequentibus in hunc versum falso transposita ac deinde in ipsa Sophoclis verba recepta.

Chorus v. 1284. ait *ὦ ἰὼ δυσκόρηστο;* "Αἶδου λιμήν, τί μ' ἄρα τί μ' ὀλέκεις;" His quidem in verbis nemo dubitat, quin recte dictum sit "Αἶδου λιμήν", nam ad inferos omnes undique ut nautae in portum conveniunt: id vero dubites, quemadmodum ille portus *δυσκόρηστος*, quemadmodum perniciem afferens dici potuerit, qui alias receptaculum tutum praesidiumque sit. Equidem puto vocem requiri, qua voracitas regni inferorum describatur: eamque restitui in contextum verborum, si *λαμῶς* i. e. vorago scribamus. Haec vorago *δυσκόρηστος* dicitur, quia nullis mortuorum victimis placari potest. Polynice enim inhumato abiecto Plutonis ira concitata est, quae iam insatiabilis in Creontis domum bacchatur.

Versu 1084. Tiresias ait: *τοιαῦτά σου, λυπεῖς γὰρ, ὥστε τοξότης ἀφῆκα θυμῷ καρδίας τοξενύματα βέβαια*, Interpretes recentiores haud dubie recte *καρδίας τοξενύματα* coniunxerunt; sunt enim tela, quae in ipsum pectus penetrant; et explicationis causa addidit *βέβαια*. Sed de praecedentibus verbis dubitatio quaedam suboritur, utrum *σου* ex *θυμῷ* an ex *ἀφῆκα* pendere dicamus. Et hanc quidem rationem Nauekius probavit: erunt fortasse, qui alteram rationem praeferant. Sed qui *ἀφῆκα θυμῷ σου* coniungere velit, reputare debebit, eam rationem, qua *θυμῷ καρδίας* proxime se

contingant, habere abundantiam quandam: praesertim cum maior vis in καρδίας quam in θυμῷ esse videatur, ut non ascendat oratio sed descendat. Qui vero, ut Nauckius, θυμῷ intelligit ira ductus, is Tiresiam quasi excusantem facit, quod talia tela in Creontem miserit. Quo facto nervus orationis praeciditur. Equidem σοι — θυμοῦ scripserim: ut θυμοῦ genitivus quasi arcum significet, ex quo illa tela coniecta sint. Talia, inquit, in te misi tela ex animi mei arcu, quae in ipsum pectus tuum penetratura esse videantur.

Non minus facile restitues versus 758. f. ἀλλ' οὐ τόνδ' Ὀλυμπον — χαίρων ἐπὶ ψόγοισι δεινάσεις ἐμέ. Verba ἐπὶ ψόγοισι non cum χαίρων, quippe quod absolute dictum esset, sed cum δεινάσεις coniungenda esse, facile interpretes nobis persuaderent, dummodo docerent, aliene ratione atque ἐπὶ ψόγοισι illudere alicui liceret. Nimum enim quantum interest, utrum dicas λέγω ἐπ' οὐκείδω, an vero δεινάζω ἐπὶ ψόγοις. Sed ne tempus teramus, pro ἐπὶ equidem ἐτι scribendum censeo: non amplius vituperatione tua me irritabis.

Simili ratione una littera mutata emendabis v. 703. Nam ut nunc verba scripta sunt; τί γὰρ πατρός θάλλοντος εὐκλείας τέκνοις ἄγαλμα μείζον etc. et verborum constructio parum elegans est, et habet praeterea, quo offendet. Nam haud dubie verba sic alterum ex altero pendent: τί γὰρ ἄγαλμα μείζον — εὐκλείας πατρός θάλλοντος: quo facto θάλλοντος absolute dictum est, quod vix ferri potest; nam Phil. 420 quem locum interpretes laudant, μέγα θάλλοντες scriptum est. Deinde vero εὐκλεία θάλλοντος πατρός vix intellexeris: quasi vero beatitudo et potentia augendae famae esse possint. Denique toto hoc loco non de bona Creontis fortuna agitur, sed de iudicio civium. Quare, nisi fallor, scribendum est: θάλλοντος εὐκλεία, ut haec sit sententia huius loci: quodnam bonum liberis maius est patre bona fama florente. Ne vero putes, verba praecedentia vulgatae lectioni praesidio esse posse, πρόσσοτος εὐτυχῶς nequaquam idem est quod θάλλειν, sed de eo dicitur, cui res bene cedant quique in eis quae agat prospero rerum eventu utatur. In illo vero εὐτυχῶς πρόσσειν maxime inest sincerus civium consensus.

Sed ut ad alium locum transeamus, multifariam tentatum, Creon negat deos eius curam habere posse, qui ἀμφικίονας ναοὺς πυρόσων ἤλθε κάναθηματα καὶ γῆν ἐκείνων καὶ νόμους διασκεδῶν. Recte monuerunt interpretes, γῆν ἐκείνων et νόμους vix inter se convenire, eratque in proclivi, hoc quoque loco δίαπυ et νόμους inter se coniungere, ut alibi eae notiones coniunctae nobis occurrunt. Intelligendae videlicet religiones sacrae et sollemnes quae bello illato turbantur, non leges, quae ad morum sanctitatem pertinent, de quibus Nauckium video cogitasse. Sed licet tamen etiam aliam rationem inire, quae ut minus poetica poetaque digna videtur, ita tamen fortasse verior est. Agitur hoc loco de vastatione templorum: quidni putemus omnia-

ca recenseri, quae huic vastationi obnoxia sunt. Ipsa templa et aedificia templis addita — haec enim ἀναθήματα intelligo, ut Euripides ea voce usus est, ut apud Polybium saepius eam repperi, — iam commemoravit; adiungit his terram deorum sacram et pecudes, quae in ea aluntur. Quid multa? pro νόμους scribi iubeo νομάς, quarum apud alios scriptores, veluti Polybium, saepius mentionem fieri memini, et quarum direptio Aetolis a Polybio crimini gravi vertitur.

In eis, quae sequuntur, Creon non iam suspicatur, sed affirmat, facinus illud non tam custodibus, quam civibus quibusdam imputandum esse, qui iam pridem seditiose contra ipsum murmuraverint. Verum est, Creontem paullo ante regem esse factum: sed haec est licentia quaedam poetica, quam nec Sophocles refugit, nec ullus poeta, si id opus esset, quo vehementius auditores — nam auditoribus ille scripsit, non lectoribus — moveret. Qua quidem de re pereleganter etiam Goethius noster olim cum Eckermanno disputavit. Ἄλλ' ταῦτα, inquit, καὶ πάλαι πόλεως ἄνδρες, μάλιστα φέροντες ἐρροῦν ἐμοὶ κρυφῆ, κάρα σείοντες, quo tamen loco caveas cum interpretibus μάλιστα φέροντες ἐμοί coniungas. Nam licet χαλεπῶς φέρειν et similia cum dativo recte construas, vereor tamen ut dativum personae cum eis coniungere recte possis. Nec illud opus est. Nam ταῦτα μάλιστα φέροντες ait, haec et alia imperia mea aegre ferentes, πάλαι ἐρροῦν ἐμοὶ κρυφῆ clam contra me murmurabant, κάρα σείοντες iugum excutere cupientes, id quod equi non clam, sed obstinato et irato animo facere consueverunt. Horum igitur principum civium haec culpa est, non custodum: operam redemerunt hi, et in eo multus est Creon, se pervertendos illis tradiderunt. Jam vero v. 302. custodibus missis, pergunt ὅσοι δὲ μισθαροῦντες etc. Atqui custodibus, de quibus multa Creon declamavit, si quis opponendus est, certe non οἱ μισθαροῦντες, sed οἱ μισθοδοτοῦντες vel, quoniam hoc trimetro iambico non convenit, οἱ μισθώσαντες opponendi sunt. Atque sic equidem scribo. Illi principes, qui nunc custodes pecunia adduxerunt, ut Polynicis corpus sepelirent, χρόνον ἰ. e. tandem aliquando effecerunt, ut malae voluntatis poenas solverent. Extorquebo enim, inquit, a vobis nomina eorum, qui huius flagitii machinatores sunt.

Versu 435 f codicum omnium haec est lectio: ἄπαρνος δ' οὐδενὸς καδίστατο, ἀλλ' ἰδέως ἔμοιγε κἀλγεῖν ἄμα. Praeclare Dindorfius pro ἀλλ' coniecit ἄμα, quod iteratum in una enuntiatione exemplis idoneis satis commonstravit. Meritoque haec emendatio ab omnibus fere Sophoclis editoribus comprobata et recepta est. Sed, nisi fallor, ne sic quidem omnia plana et explorata sunt. Nam primum quomodo illud ἀλλ' in textum verborum irrepere potuerit, cum praesertim verbum finitum desit, non facile dicas. Tum vero non haec est nuntiorum consuetudo, a Sophocle alias egregie expressa, ut quidquam, quod ad rem pertineat, reticeant. Quid igitur causae esse dicamus, cur hoc loco nuntius non dicat, se iam captam virginem adducere? Suspiciaremur, hoc loco verba quaedam intercidisse, etiamsi nullum aliud locunac

vestigium compareret: nunc *ἀλλ'* eam suspicionem confirmat. Atque equidem versum unum post 436. intercisisse existimo, cuius haec, quam dico, sententia esset. Post *καδίστατο* punctum scribo, ut *ἀλλά* particula novae enuntiationis initium fiat, quo de particulae illius usu vide, si placet, Bäumleinii nostri egregiam de particulis Graecis disputationem. Atque, nisi fallor, haec ratio probabilior ea videbitur, quam Bergkius iniit, qui tamen et ipse in *ἀλλ'* veram Sophoclis manum agnovit.

Sed ut ab Antigona ad aliam quandam Sophoclis fabulam transeamus, etiam in Oedipo Tyranno perquam multa inveniuntur, quae nunc quoque post tam praeclaram doctissimorum virorum operam vel critici vel interpretis acumen desiderare videantur. Quod ita a nobis dici nemini mirum videri poterit, qui quantum hoc in genere dies diem doceat vel ab aliis audiverit vel ipse expertus sit. Nolumus nunc de Hermanno loqui: ipse Schneidewinius nobis in litteris, quas paullo ante mortem ad nos misit, ingenue confitetur, se in dies arctiorem cum Sophocle suo consuetudinem contrahere. Atque primum quidem paucos quosdam locos proferemus, quos interpolatos iudicamus; deinceps alios tractabimus, quibus facili opera pristinum ac verum nitorem restitui posse arbitramur. Quidquid vero cum alias tum hoc loco a nobis disputabitur, necessitate quadam expressa existimato, non arroganti audacia concepta, si nos quoque hoc in genere quaedam periclitari audebimus.

Sic Oedipus eo loco, quo filias inuuptas fore plorat, v. 1492. ff. ait

*τίς οὗτος ἔσται, τίς παραρρήψει, τέκνα
τοιαῦτ' ὄνειδη λαμβάνων, ἃ τοῖς ἐμοῖς
γονεῖσιν ἔσται σφῶν δ' ὁμοῦ δηλήματα;*

ὄνειδη turpitude, quae a parentibus filiabus Oedipi adhaeret. Haec turpitude quemadmodum parentibus Oedipi perniciem esse poterit, etiam si non patrem ac matrem Oedipi intellexeris, sed solam matrem, quae sane hac infamia ad mortem compulsae est, nullo modo futurum tempus *ἔσται* satis bene explicari potest. Quare ad coniecturam interpretes confugerunt, cum alii pro *ἐμοῖς* scriberent *πάλαι*, alii vero *γονεῖσι* corruptum existimarent. Qui *πάλαι* scribunt, eos necesse est maxime Laium intelligere, qui tamen huius infamiae prorsus expers fuit: namque infamia ea, de qua hoc loco agitur, post mortem demum Laii concepta est. Qui *τοῖς ἐμοῖς γονεῖσιν*, coniciunt, ei non reputant, priore loco filias ipsas, altero demum generos commemorari oportuisse. Equidem interpolationem deprehendisse videor. Scripsit Sophocles *τίς οὗτος ἔσται, τίς παραρρήψει, τέκνα, τοιαῦτ' ὄνειδη σφῶν δ' ὁμοῦ δηλήματα*, „quis in se recipiet tantam turpitudinem, quae eadem vobis perniciem futura sit?“ Verbi *παραρρήσει* cum simplici accusativo coniunctionis exempla Stephani Thesaurus suppeditabit.

Similiter versus 540 — 542 interpolatos arbitror. Nam posteaquam Oedipus

graviter in Creontis impudentiam invecus est, qui, cum talis sceleris conscius sibi esset, tamen ad regem venire ausus esset, quaesivitque ex eo, num vel ignaviam vel stupiditatem tantam in se cognovisset ut vel ut lateret vel ut impunitus esset fore sperare posset, iam stultitiam Creontis increpat, qui sine amicis et sine pecunia tyrannidem aucupatus sit. Haec ita dici parum nobis consentaneum videtur. Primum *μοῦρας* crimen ita unius est quam *πόλις* opprobrium, ut id quod primum Creonti crimini dedit, stultitiae crimine imminuatur necesse sit. Tum deest particula, qua apte ab impudentiae crimine ad hoc alterum stultitiae opprobrium transitus paretur. Denique fieri omnino non poterat, ut, cum antea dixisset, *ἄνευ πλῆθους καὶ φίλων* deinde sic pergeret, *ὃ πλῆθει χρημασίῳ δ' ἀλίσκεται*. Πλῆθος repetitum si excusamus, etsi excusationem non patitur, cur pro *φίλων* scripsit *χρημασίῳ*. An vero amicos eos intelligemus, qui *χρημάτα* suppeditent? Adde quod his versibus deletis, sententiarum ratio et ordo nullo modo pervertitur.

Ex eorum versuum, quos subditivos puto, numero sunt etiam v. 246 — 248, quos quidem versus notum est subtilis disputationis causam fuisse, quae ab O. Ribbeckio et J. Classenio instituta est. Quorum alter transpositos huius fabulae partis aliquot versus iudicavit, alter vero traditum versuum ordinem retinuit et ab suspicione Ribbeckii vindicavit. Nobis illi versus spurii videntur, etiamsi ex eo loco, in quo nunc sunt, in alium transponantur. Primum enim, si in eo aliquid momenti ponere voluisset poeta, utrum solus an cum aliis rem illam patravisset, non Singulari numero, sed Plurali utendum erat: certe execratio ab uno in omnes, qui in eadem culpa erant, propaganda erat, omnibusque illud malum minitandum, quo unus ille affictus erat. Deinde vero quis non videt, hanc execrationem admodum languidam esse, praesertim praecedentibus eis verbis, post quae et Nauckius et Dindorfus ei locum assignaverunt. Nam si eis, qui noxium celabant, Oedipus imprecatur, *θεοῖς μήτ' ἄροτον αὐτοῖς γῆς ἀνίεναι τίνα, μήτ' οὖν γυναικῶν παῖδας, ἀλλὰ τῷ πότμῳ τῷ νῦν φθερεῖσθαι κατὰ τοῦδ' ἐχθίοι*, certe graviora in ipsos interfectores coniicienda erant, quam quae sequuntur, *κακὸν κακῶς νῦν ἄμορον ἐκτροῦψαι βίον*. His vero versibus eiectis nulla am versuum transpositione opus esse apparet, dummodo verbis *ἐγὼ μὲν οὖν* etc. non *ἐπέυχομαι δέ*, opposita esse existimes. Illa videlicet *ἐπέυχομαι δέ* etc. quasi continuant et confirmant ea, quae paullo ante Oedipus de se ipso praedicavit. Qualis enim occiso socius et adiutor sit, ex eo maxime intelligi potest, quod ne suis quidem, si crimen ad eos pertineat, parcere vult.

Quartus locus, in quo aliquid interpolationis subesse suspicemur, est in ipso initio fabulae, v. 18 sacerdos ibi ait:

ὄρῳ μὲν ἡμᾶς ἤλικοι προσήμεθα
 βοιοῖσι τοῖς σοῖς· οἱ μὲν οὐδέπω μακρὰν
 πέσσει σθένοντες, οἱ δὲ σὺν γῆρα βαρεῖα

ἱερεὺς ἔγωγε Ζηρὸς οἶδε τ' ἠΰθ' ἔων *λεπτοί*
 quibus deinceps τὸ δ' ἄλλο φύλον opponitur. Si haec verba vera et incorrupta sunt, quasi ex omnibus aetatibus electi adsunt, qui regis praesidium implorent: *λεπτοί* enim non solum ad iuvenes, sed etiam ad infantes et senes referendum est. Quid vero? cur non etiam ex viris electi sunt qui ad regiam aram considant supplices? Cur *ἱερεὺς ἔγωγε Ζηρὸς* in medio interpositum esse dicamus, quod praesertim nulla particula ad praecedentia apte annexum sit. Sed quid omnino adolescentibus supplicibus opus est, cum hi quidem minus apti videantur, qui misericordiam moveant, quam ei, quibus nullum in suis viribus praesidii sit? Quid multa? hunc versum eicias, iam omnia plana atque consentanea videbuntur. Atque nihil ad defendendum illum versum refert, utrum *ἱερεὺς* an *ἱερεὺς* scribendum putes, nisi quod *ἱερεὺς* etiam longius quam altera scriptio a sana mente recedit. Quamquam si compares vel versum 32. *ἐγὼ οἶδ' οἶδε παῖδες* vel 147. *ὦ παῖδες, ἰσώμεσθα* vel 142. *ἀλλ' ὡς τάχιστα, παῖδες, ὑμεῖς μὲν βάρηρον ἴστασθε* vix dubitaveris, ne senes quidem plures praeter unum illum sacerdotem supplices affuisse; sed pueros tantum cum illo sene ad regiam, electos ex toto populo, missos esse, quo regis animum vehementius commoverent. Etsi enim regi ipsi voce *παῖδες* cives fortasse recte compellare licet, non tamen sacerdoti licebit, eadem voce uti senes eiusdem aetatis, qua ipse est, appellanti. Ceterum, quoniam eum locum attigimus, etiam versu 30 rectius *ισούμενοι* scripseris quam *ισούμενον*, quod est in libris. Languida enim videtur oratio, si *ισούμενον* necesse est ex *κρίνοντες* pendere, praesertim cum caussa nulla appareat, cur poeta simplex *ἴσον*, quod aptissimum est, spreverit. Contra *ισούμενοι* et *κρίνοντες* cum inter se conveniunt ac sibi respondent, orationem optime conformatam esse, haud scio an quisquam negaverit.

Difficilior etiam est ratio loci ex oratione Oedipi expedienda v. 255. ff Nec si facinus commissum, i. e. caedes Laii non a deis exagitaretur id inultum pati deberetis, cum vir optimus rexque Thebarum occisus sit; nunc vero equidem in illius locum successi; quare maior etiam caussa est, cur illius caussam tanquam meam tuear. Haec est horum versuum sententia, quam si probas, concedes personam eius, qui occisus sit, et eius, qui nunc regiam dignitatem teneat, inter se oppositas videri. Quae oppositio ne minuatur, necesse est alteram prohiberi, quae efficitur, si v. 256. *ὑμας* legimus, quod facere non poteris quin ei quod sequitur v. 265. *ἐγὼ* oppositum esse iudices. Quare equidem censeo pro *ὑμας* esse *ἡμας* scribendum, quippe quo pronomine Oedipus suam et civium communem quandam caussam esse autumat. Ergo quod maxime observandum est, oppositio non est in verbis versus 255. *οἶδ' εἰ γὰρ ἦν το πρᾶγμα μὴ θεήλατον*. Atqui in promptu erat, haec quae modo laudavi verba urgere, et in eis vim omnem orationis inesse iudicare. Idque videtur nescio quem compulsisse, ut versum inculcasset Oedipi orationi, qui est v. 263. *αὖν δ' ἐς τὸ κείνου κρατ'*

ἐνὶ λαῷ ἢ τύχη, ut nunc res habet, in illius, id est percussoris, caput insiluit fortuna: quae verba prorsus perverse ab interpretibus ad Laium relata sunt. Quare, ut mihi quidem videtur duplex huius loci lectio erat, altera eorum, qui personam regis interfecti ac regis praesentis inter se opponerent; altera eorum, qui rem divinitus vindicatam cum re neglecta et inulta componerent. Illorum rationem qui probant, eos verum 263. de medio tollere necesse est; qui alteram rationem tuentur, eis versus 258 — 262 displicere verisimile est. Nos quidem, ut verum confiteamur, priorem sententiam probamus, praesertim cum deorum ultio elegantius atque gravius significari potuisse videatur, quam versu 263. factum est. Quare hunc versum spurium ac subditivum iudicamus, quo exterminato, ἀνδ' ὧν sane Anacoluthon est, sed eiusmodi Anacoluthon quo, longa interposita enuntiatione secundaria ea, quae ab particula ἐπεὶ initium capit, vix ullum simplicius magisque ad sermonem quotidianum accedens cogitari possit.

Superest ut de paucis quibusdam Oedipi Regis locis disputemus, qui, nisi critica eis manus adhibeatur, sola arte interpretandi vix sanari posse videantur. Itaque in oratione Tiresiae versibus 420. ff. haecce quae sequuntur, inveniuntur:

βοῆς δὲ τῆς σῆς ποῖος οὐκ ἔσται λιμήν,
 ποῖος Κιθαίων οὐχὶ σύμφωνος τάχα,
 ὅταν καταίσθῃ τὸν ὑμέναιον, ὃν δόμοις
 ἄνορμον εἰσέπλευσας, εὐπλοίας τυχῶν;

